

Dissertatio inauguralis historiam instrumentorum deglutitioni, praeprimis vero chyificationi inservientium, tradens / [Johann Boecler].

Contributors

Boecler, Johann, 1681-1733
Université de Strasbourg

Publication/Creation

Argentorati : Literis Johannis Friderici Spoor, [1705]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bsa6dpx8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. J.

DISSERTATIO INAUGVRALIS
HISTORIAM

INSTRVMENTO-
RVMD EGLVTITIONI,
PRÆPRIMIS VERO
CHYLIFICATIONI
INSERVIENTIVM,
TRADENS,

QUAM

ARCHIATRO SVMMO AVSPICE

DECRETO ET AUTHORITY

MAGNIFICI, NOBILISSIMI,
AMPLISSIMI

IN INCLYTA ARGENTORATENSIVM
ACADEMIA

COLLEGII MEDICI

Pro

Summis in arte Medica honoribus & privilegiis
Doctoralibus rite impetrandis

SOLENNI Eruditorum examini submittit

JOHANNES BOECLERVS, Argent

Ad diem 24. Januar. 1705.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

ILLVSTRI
LIBERALITATIS
OTTONIANÆ
DNN. PRÆFECTORVM
COLLEGIO,

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS,
PLVRIMVM REVERENDO,
CONSULTISSIMIS,
EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMIS,

Mæcenatibus suis Maximis

ob

Innumera accepta beneficia

Dissertationem hanc Inauguralem

in

grati animi *τεκμήριον,*

suique ulteriorem commendationem

devotâ,

quâ par est, animi submissione

D. D. D.

JOHANNES BOECLERUS.



PROOEMIUM

Lectori Benevolo Salutem.

PArtium corporis humani solidarum, & inter eas viscerum præprimis cognitionem, Medico maxime utilem & perquam necessariam esse, nullus est qui dubitat. Iis enim perspectis, facilius quoque in humidarum atque spirituosarum partium deducimur naturam. Quod & nos considerantes, non minimi momenti rem, nos facturos arbitrati sumus, si pro dissertatione inaugurali quarundam, deglutitioni & præsertim chylicationi inservientium partium exhiberemus descriptionem. Non venditamus illam pro exactissima, atque omnibus numeris absoluta, profundè enim doctorum atque longo tempore exercitatorum anatomicorum illud est, non tyronum. Optimorum interim auctorum usi sumus auxilio, quorum quoque ipsissima sæpius verba retinere, quam alienis minusque accuratis sermonibus illorum mentem obscurare maluimus. Tuum erit B. L. si alicubi rem acu non tetigerimus,

pro humanitate tua veniam impertire, conatusque nostros æqui bonique consulere. Cæterum DEUM T. O. M. quo omnibus nostris cœptis sua gratiâ velit adesse, ardentissimis imploramus precibus.

§. I.

Historiam, gulæ, Ventriculi, intestinorum atque vasorum lacteorum tradituris, omnium primo gula expendenda venit. Est autem gula ἡ κοινὴ καὶ μεγίστη καὶ πρώτη πασῶν ὁδὸς, ἢ ἀπὸ τῶ σθμάτιου εἰς τὴν γαστέρα φέρεται, καθάπερ εἰς τι ταμιεῖον κοινὸν ἀπάντων μορίων, ἐν μέσῳ τῷ ζῳῷ καθιδρυμένον, communis & maxima atque prima omnium via, quæ ab ore ad Ventriculum fert, velut ad promptuarium quoddam commune omnium partium, in medio animali collocatum: prout loquitur Galenus de usu partium l. 4. c. 1. Est, inquam, canalis ille membranaceus, oblongus, mollis atque tensilis, à faucibus ad stomachum usque protensus, per quem esculenta atque potulenta ad Ventriculum deferuntur. Hinc Græcis à ferendo cibum δισσοφάγιον dicitur. Situm obtinet larynge posteriori, non quod aliquid liquidorum per rimam gutturis ad ejus humectationem descendere debeat, prout voluit Aquapendens, sed sequentes ob causas aspera arteria antè, gula vero postèrè posita videtur, 1. quod, cum trachea sit magis dura atque cartilaginosa, Gula vero pelliculosa, illa magis ab extrinsecus alterantibus se tueri potest quam hæc. 2. quod cum per pharyngem inspiretur aër, cujus continuus debet esse ingressus, ideo debuit situm ad hoc habere directum, & inde est quod situm obtinet ante œsophagum. 3. quod si gula antèrè fuisset posita, potuisset fieri, vel quod post finem tracheæ gula obliquasset versus dorsum, vel quod à fine tracheæ usque ad principium oris stomachi fuisset vacuitas, sed utrumque est inconueniens, nam secundum est impossibile, primum autem nocuum & impedimentum in actu deglutiendi pareret. Sunt hæc rationes quas allegat ex Mundino Blasius ad Veslingii Synt. anat. c. XI.

H.

Tribus œsophagum constare tunicis anatome docuit Harum extimam nonnulli à peritonæo, alii à pleura, alii à vertebrarum spinæ ligamentis ortam volunt. Arridet nobis hac in re iudicium, Dn. Francisci Glissoni tr. de Ventr. & intest. c. 1. statuentis, omnes has sententias, si de principio continuationis sive connexus intelligantur, veras esse, falsas vero si de origine fovente atque sustinente sumantur. Ulium aliam tunica hæc non præstat quam ut cæteras investiat. Tunica media, carnosæ est atque crassa, ita ut Hoffmannus illam muscolum esse iudicet. Duplici fibrarum gaudet serie, quarum exterior ex fibris rectis ac longitudinalibus, interior ex annularibus composita est, harum ope, in quas nimirum Spiritus successivè influentes materiam deglutiendam ad Ventriculum protrudunt, œsophagus constringitur, illarum vero, nempe longitudinalium auxilio œsophagus dilatatur, fortasse ut transitus pro materia deglutienda sit liberior. Intima sive tertia tunica nervea, fibrisque tenuissimis variique generis inter se contextis constans deprehenditur. Tunica illi nerveæ, quæ os intus obteggit est continua, atque ad Ventriculum usque descendens superius ejus orificium aliquot digitorum spatio obducit. Altior hujus tunicæ (verba hæc sunt Clarissimi Dn. Willisi de medic. oper. f. 2. c. 2.) in Ventriculum insertio, intimum ac citissimum illud inter stomachum & gulam commercium facit, ita ut si pars alterutra in vomitionem cieatur, mox altera in *σύμωσις* adducatur, cumque eadem tunica palatum, aliasque oris partes investiat, etiam hæc cum illis circa vomitionem mutuo consensu afficiuntur; Hinc inde assumpto emetico os Salivans, trementiaque labia subsecuturæ mox vomitionis signum præbere videmus. Ad sensationem & quodammodo quoque ad motum, tunicam hancce facere nulli dubitamus, an autem, quatenus hæc tunica propter humiditatem nimiam, quæ aggravatur, discutiendam, à spirituum explosione quadam expanditur & ampliatur, oscitatio producat, prout Dn. Willisius statuit, adhuc cum Dn. Taury dubitamus. Villis tenuissimis sive crustâ villosâ, illi quæ palatum, linguam, Ventriculum

atque intestina obtegit, simili intus obducitur. Impedit hoc velum, quo minus tunica nervea ab assumtis lædatur. Ad commestationem quoque (prout eleganter iterum Dn. Willisus l.c. loquitur) quæ pro tuenda vita necessaria est, magis invitandam crusta hæcce villosa facere videtur, nempe ut dum alimenta grata deglutiuntur, in toto œsophagi transitu, à villis istis arripi, iisdem diutius adhærere, & jucunditatis sensum imprimere queant. Tribus hisce tunicis duas alias, inter nerveam atque musculosam membranam sitas, Dn. Verheyen l.c. superaddit, quarum eam quæ musculosæ proxima est vasculosam, alteram vero quæ nervosæ adhæret glandulosam appellat. Nobis eas videre nondum contigit.

III.

Principium gulæ, quod pharynx anatomicis audit, tribus musculorum paribus atque sphinctere gaudet. Musculorum primum par Cephalopharyngæum dictum, ad elevandum, reliqua duo paria, quorum alterum Sphenopharyngæum, alterum stylopharyngæum vocant, ad dilatandum œsophagum facere videntur. Sphyncter pharyngis, musculus aliàs œsophagæus dictus, quem plurimi simplicem unicumque musculum esse volunt, Dn. Verheyen vero duos distinctos esse musculos judicat, cibum comprehensum inhærentemque deorsum propellit.

IV.

Perlustrato sic œsophago, quomodo hoc organum in actu deglutitionis sese habeat paucis videndum restat. Ubi nobis illorum, qui cibum atque potum ex ore, à facultate tractrice tunicæ interioris tam œsophagi quam ventriculi ipsius ad hunc deduci putarunt, displicet sententia. Displicet inquam hæc opinio, eo quod tractio, quæ hic in scenam producitur, à moderna physicorum cohorte rejiciatur, quodque (2.) per tales facultates aliquid dicatur, quod scias æque atque nescias; (3.) denique quod sententiæ hujus assertores, deglutitionem esse actionem naturalem, cum tamen maxime sit animalis, stant. Optimè munus œsophagi in peragenda deglutitione descri-

describere Dn. Verheyen videtur; Cujus propterea mentem hoc loco nostram facere, ipsissimaque ejus verba hic apponere minime pudori ducimus. Occurrente, inquit, materia deglutendâ, tenduntur sex priores muscoli, quorum actione pars posterior œsophagi sursum & extrorsum expanditur, parte anteriori depressâ atque omnino patulâ, deinde motu linguæ ac buccarum projicitur cibus vel potus in Gulæ orificium, ac statim prioribus musculis ab operatione cessantibus, se contrahunt muscoli œsophagi, ipsumque œsophagi principium constringentes, materiam in illo contentam ulterius protrudunt. Constrictio œsophagi, adeoque & cibi & potus protrusio ulterius continuatur usque ad stomachum per contractionem fibrarum annularium tunicæ musculosæ. Fibræ autem longitudinales ejusdem tunicæ maxime usui veniunt, dum venit deglutendus bolus aliquis major, ut videlicet illarum contractione dilatetur pars illa œsophagi, quæ bolo isti transeunti præjacet; ac proinde illo tempore, quo constringitur œsophagi pars superior, dilatetur ejus pars inferior.

V.

Excipit œsophagum Venter, quasi parvus venter dictus, Græcis κοιλία, γαστήρ, νηδύς audit, quorum vocabulorum ulteriorem evolutionem exhibet Fœsius in œconomia Hippocratis. Galenus, juxta thesin nostræ dissertationis primam ταμιεῖον τῆς τροφῆς κοινὸν illum appellat; Aliis ἐργαστήριον primæ concoctionis audit, aliis sub promi condi nomine venit, aliis aliter dicitur. καὶ ἐξοχλίω autem viscus illud membranaceum, in epigastrio sinistro proxime sub diaphragmate situm. superiori parte gulæ, inferiori vero intestino duodeno junctum, cibi potusque receptaculum, in quo in chylum convertuntur, Ventriculi nomine insignitur.

VI.

Duobus esse instructum orificiis, sinistro nimirum seu superiori, atque dextro seu inferiori ἀνοσμία demonstrat. Illud, quod σόμα τῆ γαστρὸς, καρδίαν, stomachum vocant, œsophago continuum, fibris carnosiss atque orbicularibus præditum est, quibus

quibus mediantibus, (non nisi enim deglutitionis atque vomitionis tempore aperitur) se sphincteris iastat constanter claudit. Quæ clausura tum feliciori inservit concoctioni, tum, ne quâ levî de causâ regurgitent assumpta, præcavet; Ad quod ultimum tamen, positum hujus orificii ad Ventriculum fere perpendicularem, multum quoque conferre, non improbabile videtur. Ob nervorum, qui illud ingrediuntur, copiam, perquam sensile deprehenditur, quod ipsum in causâ fuisse videtur, ut sedem animæ vitæque principium hic locâret Helmontius, maxime propterea improbandus. Hoc, dextrum nempe orificium, πυλωρός, januæ custos, janitor, aliàs dictum, oblique jungitur duodeno, fibris quoque circularibus donatum, ope quarum, ne crudior elabatur chylus constringitur, non minimum tamen momentum situs ipsius pilori elatior hîc contribuit; Inanito enim ventriculo deorsum licet propendeat, altitudine tamen eodem alimentis repleto, superius adæquat, imo quandoque altius assurgit.

VII.

Figuram Ventriculi, quam rotundam simul atq; oblongam, ad œsophagum quidem latiore, strictiorem vero intestina versus deprehendimus, eleganter admodum Galenus l. 4. de us. part. c. 7. describit, causasq; hujus figuræ non ineptas reddit. Quod magnitudinem attinet atque capacitatem, pro ætatis, sexus atque victus ratione varia est. Signa, quibus magnitudo cognosci potest, si quis scire cupiat, inter alios, Thom. Barthol. an. ref. l. 1. c. 9. & Glisson. Hist. Ventr. c. 2. §. 7. adeat. Numero Ventriculus in homine maximaque animalium parte, unicus tantum reperitur; in pennatis granivoris duo occurrunt ventriculorum genera, animalia vero altera tantum parte dentata, omniaque cornigera ruminantia, quin & ruminantia non cornigera, quatuor donantur ventriculis. Horum primum κοιλίαν μεγάλην, magnum ventrem, *la pence, la double,* den Wanst appellat, secundus κερύφαλλον, reticulum, *le Bonnet, die Hülle/ die Haube/ das Zinnenhäusel* dicitur: Tertius ἐπιγάστριον, omasum, centipellio, *myrefevillet, le millet, le livre,* den Mannig-

Mannigfalt audit; Quartus *ἦνυσρον* abomasum, *la cuilette*, *der Magen* insignitur. Descriptionem eorum atque usum videsis apud Gliff. l. c. atque præcipue in elegantissimo, quem de ruminantibus atque ruminatione Johannes Conradus Peyerus Schaphufianus edidit, tractatu.

IIX.

Ex totidem, quot œsophagus, tribus nimirum conflatus est tunicis, quarum extimam mere membraneam, atque peritonæi propaginem esse volunt. Dubium tamen hic movet Gliffonus, tunicam hancce non totam mutuatitiam, sed saltem respectu fibrarum, quas in proximam inserit tunicam, non minus quam secundam aut tertiam Ventriculo esse propriam asserens, ne dicamus quid de parenchymate, quod ipse quidem addit. Hæcce tunica, non tantum tueri roborareque ventriculum, sed & ratione fibrarum, ab uno orificio ad alterum excurrentium, motui peristaltico inservire videtur. Quæ hanc excipit carnosæ est atque verè musculosa duplici fibrarum ordine constans, quarum interiores per Ventriculum excurrentes superius sinistrorsum, inferius dextrorsum spectant. Exteriores tunicæ extimæ fibras ad angulos rectos secantes Ventriculum circulariter ambiunt. Hujus tunicæ præcipuè beneficio motus peristalticus peragitur, ventriculus constringitur, chylusque ex assumptis confectus versus pylorum propellitur. Tunicarum interior nervea, variique generis fibris inordinatè satis dispositis, rugis atque plicis quam plurimis intus conspicua deprehenditur, quæ rugæ, ob majorem hujus quam carnosæ tunicæ amplitudinem efformatæ, assumtis, ne ante peractam elabantur chylicationem, impedimento sunt. Sensationi hanc tunicam esse destinatam omnes consentiunt, ut autem facilis illius ab ingestis arceatur læsio, velamento quoque pariter ac membrana œsophagi interna, villosa obducitur, quod si quis cum Dn. Willifio tunicam peculiarem atque quartam nominare velit, illi minime erimus contrarii. Descriptio ejus, quam Laudatus Dn. Willifius exhibet, hæc est. Interior, inquit, tunica, tota nervosa, in superficie interna, sub-

B

stantia

stantia villosa, seu filamentis rectis, tunicae ipsi perpendiculariter insertis ubique obducitur. Hæc crusta Ventriculum intus obtegens, post levem elixationem manifestissime apparet, distincta tamen ab eâ quæ Gulam investit, (utpote levidensis & minus candida) similis videtur illi, quæ linguam obtegit. Quippe tum hujus tum Ventriculi aspera & crustata esse debet, ut alimenti tum libati, tum deglutiti particulae parvum in eâ detineantur, & dein paulatim tunicae nervosæ tradantur, quæ ab eorum nudo & immediato contactu, nimis irritari & postea indurari periclitaretur. Porro hæc Ventriculi crusta villosa, aliis etiam usibus infervit; Chyli enim reliquiae inibi aggestæ in fermentum quoddam, & pro appetitu & pro digestionem requisitum evadunt. Cæterum hæc lanugo vasorum, quæ tunica nerveæ densissime inferuntur, ora ubique obtegit, ac tutatur, nec non humores ab arteriis & nervis exudantes suscipit; dum interim venæ chylum aliosve succos in hac parte scatentes exugunt. Crusta hæc villosa in postica sive convexa ejus superficie, qua tunica nerveæ cohæret, glandulis annulatis numerosissimis ubique consista est, quæ proculdubio vasorum in tunica nervea dehiscentium ora contegunt, ac, uti videtur humorem illis destinatum, aut ab iis depositum immediatius excipiunt atque percolant. Hactenus Willisius, cui tamen in omnibus quæ hoc loco profert fidem esse adhibendam negamus.

IX.

Per glandulas in tunica, juxta Willisium quarta, sitas, liquorem istum, quem fermentum quidam, alii & quidem rectius lympham digestricem aut menstruum appellare amant, Separari valde est probabile, humore quoque salivali, qui continuo sensim sensimque deglutitur, nec non spiritibus animalibus concurrentibus. Sunt qui acidum esse hoc menstruum, sunt qui alcalinæ naturæ illud pronunciant, nulla tamen harum sententiarum firmis satis rationibus innititur. Nobis clarissimi Dn. Wedelii hac de re perplacet opinio, dum phys. Med. l. 3. c. 9. illud nec aqueum simpliciter neque sulphureum, sed posse commodissime in genere referri ad sa-

lina, sed temperata, sed insipida quasi & menstrui universalis æmula asserit.

X.

Actionem Ventriculi esse chylicationem nemo facile negabit; quomodo autem alimenta in chylum mutantur, controvertitur. Sunt ex veteribus qui facultatem aliquam *χυλοποιητικῶ* hîc in Scenam producunt, quid autem de ea sit sentiendum ex thes. 4. videre est. Alii præsertim Galenici per modum coctionis, adeoque à calore Ventriculi adjacentiumque partium chylicationem peragi docuerunt. Imo eo quidam progressi sunt, ut per modum quendam putredinis chylosin fieri voluerint. E recentioribus non pauci acidum chylicare, alii per modum fermentationis, (cujus sententiæ ab aliis Helmontius, ab aliis Petrus Castellus Scholæ Messinensis in Sicilia Medicus, author fertur,) hoc opus absolvi crediderunt. Nos, quibusdam harum sententiarum rejectis, quibusdam vero in omnibus non assentientes, paucis h. l. mentem nostram proponemus, accuratiorem exactioremque tum chyli, tum chylicationis indagacionem alii reservantes tempori. Statuimus ergo alimenta dissolutione atque extractione in chylum mutari, dum nempe assumpta à menstruo Ventriculi, mediante calore atque motu ipsius Ventriculi peristaltico inciduntur, dissolvuntur varieque agitantur, sicque eorum particula gelatinosæ una cum salinis atque oleosis evolvuntur atque extrahuntur, in intestinis deinde à fæcibus, quibus permixtæ hærebant, separandæ.

XI.

Ventriculo inferius annexa intestina, græcis *ἐντέρα παρὰ τὸ ἐντὸς εἶναι*, *χολάδες*, item, *ἐγκοιλία* atque *ἐγκαλα* audiunt, Barbari chordas, alii interanea, alii aliter appellant. Veniunt autem sub intestinorum nomine canales illi membranacei, longi, rotundi, concavi, variisque circumgyrationibus anfractuosi, initium à pyloro, finem in ano habentes, ducendo separandoque chylo, atque fæcibus continendis, ac transmittendis dicati.

XII.

Substantia cum Ventriculo conveniunt, tribus scilicet quoque, vel juxta Willisium quatuor constant membranis, ab illis, quæ Ventriculum conficiunt, in eo tantum, quod tenuiores nonnihil, quodque fibræ in horum secunda paulo aliter ac in secunda Ventriculi sint dispositæ, differentibus. Longitudo eorum sexies ut plurimum vel septies, longitudinem hominis, cujus sunt, adæquant, multum tamen hæc longitudo ratione subjecti variat, rarissimum est, quod Cabrolus observavit atque Riolanus, unicum nempe in hominibus voracissimis, illudque mirabiliter breve ac instar litteræ majusculæ S. intortum intestinum. Quo autem tam insignis longitudinis canales commodius in corpore recondi queant, mediante mesenterio, cui annectuntur, varios acceperunt gyros: tali autem longitudine atque circumgyratione, ad meliorem chyli elaborationem in intestinis præcipuè tenuibus opus fuit. Adde quod per brevina intestina citius defluxissent excrementa, sicque hominem crebrius dejiciendi servitio obligassent.

XIII.

In tenuia dividuntur intestina atque crassa, illorum, quæ ἐντερά μικρά, λεπλά καὶ στερά &c. vocant, tria sunt duodenum nempe, jejunum atque ileum. Duodenum δωδεκάδακτυλον à longitudine duodecim digitorum, quam tamen hodierni rejiciunt Anatomici, illud vix quatuor digitos longum statuentes, ab Herophilo sic dictum, à Galeno ἐκφυσις processus Ventriculi appellatur, à pyloro incipiens in jejunum terminatur, ubi ductus bilarius atque pancreaticus, modò unico, modò diversis hiantes foraminibus, inseruntur. Insigniter nonnunquam laxum deprehenditur atque amplum, qua ratione constitutum forsitan intestinum pro altero à Rioloano aspectum fuisse ventriculo valde videtur probabile. Jejunum, græcis νῆσις ita appellatum, quia ut plurimum magis quam reliqua vacuum reperitur, valvulis à Kerkringio conniventibus dictis, refertissimum, umbilicalem regionem fere totam

tam occupat. Desinere dicitur ubi ductus intestinalis fit gracilior & vasa illius pauciora. Interim hujus finem prout & initium sequentis exacte determinare neque incertitudo admittit neque utilitas requirit, prout loquitur Dn. Verheyen. In fœminis deficere falsò asseritur à Riolano. Longissimum intestinorum propter membranarum tenuitatem λεωτόν, ειλῶν, ileum ἀπὸ τῆς ειλῆσθαι, & volvulus à circumvolutione atque gyrorum multitudine dictum, transverso ductu committitur intestino crasso. Suo in Scrotum delapsu, qui frequens admodum est, herniam efficit intestinale.

XIV.

Intestinorum crassorum, quæ Hippocrates τὰ κῶλα nominat, tria quoque numerantur, cæcum nimirum, colon atque rectum. Cæcum μονόκωλον vel ab obscuro usu vel quod altero sine pervium non sit appellatur. Quid autem propriè per cæcum debeat intelligi, non convenit inter aucthores, aliis partem istam globosam intestini crassi, quæ ab insertione ilei deorsum pendet, sitam in dextra ilei regione, renique ejusdem lateris annexam, aliis vero appendiculam illam parvam instar oblongi vermis, coli principio adhaerentem pro cæco venditantibus. Nobis huic controversiæ decidendæ non immiscentibus, appendix iste vermiformis sub cæci nomine hoc loco venit. Quod usum hujus processus attinet, ille quoque adhuc dum incognitus videtur. Hoffmanno notæ potius quam ullius usus gratia esse dicitur, stercoreum fermentum in eo locat Helmontius, recrementa recipere, ne cum impetu semel delabantur ad colon, generenturque dolores, & semper excernere cogamur, asserit Bartholinus. Alii flatibus recipiendis destinatum, alii ad motum chyli distributivum in colo simulque ad impediendam excrementorum in ileum regurgitationem contribuere volunt. Nos in re tam dubia judicium nostrum suspendere, quam inanibus conjecturis ignorantiam nihilominus confiteri, malumus. Colon græcis κῶλον vel ἀπὸ κωλίω retardo, quod cellularum ratione faeces remoretur, vel ἀπὸ τῆς

κολάζεοθυ à torquendo propter dolorem colicum. Polluci
 ή κάτω κοιλία dicitur, alii, quod sinus habeat quam plurimos,
 κοῖλον appellare amant, *Arabibus* cellulatum, nonnullis cras-
 sum & plenum audit. Intestinorum omnium est latissimum
 atque amplissimum, anteriora ventris occupans, cellulas
 transitum facum remorantes habet quamplurimas, quæ
 præcipue, annotante Dn. Verheyen, efformantur à duobus
 ligamentis, secundum totius coli tractum per opposita latera
 excurrentibus, ejusque membranas ita contrahentibus ac co-
 arctantibus, ut iisdem dissolutis intestinum facile ad duplam
 longitudinem extendatur, cellulis plane oblitteratis. Ad in-
 gressum tenuis intestini valvulam orbicularem, excremen-
 tis ex ileo egressum concedentem, regurgitationem, vero il-
 lorum impediendam obtinet. De valvulæ hujus inventore,
 quum alii Salom. Albertum, Varolium alii, alii Casparum
 Bauhinum constituent, non multum sumus solliciti. Sunt, qui
 valvulam esse negant, & circulum tantummodo carnosorem
 intestino tenui crassum ingredienti, circumjectum esse asse-
 runt: utrumque & valvulam esse & circulum Nicol. Tulpi-
 us l. 3. obs. c. 21. & ex eo van der Linden Med. physiol.
 c. 4. demonstrat. Ultimum intestinorum Græcis ὄδυ, ὄθυ-
 έντερον, ἀπὸ ὄδυσμένον Latinis rectum à situ dicitur, Barbari Lon-
 ganon appellant, nullis anfractibus inæquale à summo os-
 sis sacri incipiens in fine Coccygis desinit. Hic anus audit,
 tribusque musculis, Sphinctere nimirum, ne nisi volentes
 excludamus fæces, anum constringente, & duobus aliis, ab
 officio quod anum post excrementorum ejectionem retra-
 hant, levatoribus dictis.

XV.

Restat vasorum lacteorum descriptio. Inventionis eo-
 rum laus Casparo Asellio Anatomico Ticinensi anno 1622.
 illa demonstranti, defertur. Ipsos tamen veteres hoc vaso-
 rum genus jam vidisse ex eorum scriptis liquet, licet usum
 illorum ignorârint, ac pro vasis arteriosis lactis abundantia
 repletis acceperint. Ab intestinis tenuibus maximam par-
 tem

tem oriri indubium videtur, an autem è crassis quoque egrediantur, Bartholino asserente Verheyen vero negante, vasque à Bartholino observata pro lymphaticis venditante, mihi nondum liquet. Ab intestinis igitur copiosissime exorientes venæ lacteæ, per mesenterium feruntur ad ejus glandulas, quas rursus egressæ in chyli receptaculum deductæ terminantur. Illas quæ ab intestinis ad glandulas deferuntur, primi generis, quæ verò à glandulis ad cysternam progrediuntur, secundi generis vasa lactea nominant. De qua distinctione non inepte hunc in modum disserit Dn. Verheyen tr. 2. c. 11. Cum in mesenterio humano non detur glandula proprie magna, non sunt illius respectu describendæ venæ lacteæ primi & secundi generis, prout passim in canibus: Si vero quis cupit vocare illa vasa lactea primi generis, quæ ab intestinis protenduntur ad singulas glandulas mesenterii, & quæ inde ad cysternam, secundi generis, per me licet. Mallem tamen illam distinctionem omnino omitti; quia exigua est inter illa genera vasorum differentia: cum enim quædam glandulæ intestinis propinque adjaceant, aliæ ab eis valde remotæ sint, hinc venæ lacteæ nonnullæ inter intestina & glandulas magis similes sunt aliis inter glandulas & cysternam, quam hæ vel illæ sunt similes inter se. Adde quod nullatenus constet, vasa illa omnia aut saltem pleraque transire ab intestinis ad cysternam per dictas mesenterii glandulas. Valvulas Semilunares ab intestinis chyli introitum admittentes, regressum vero impediunt obtinere Dn. Ruyschius demonstravit. Usus horum vasorum in eo consistit, ut chylum ab intestinis receptum ad cysternam deferant.

XVI.

Post inventa vasa lactea, circa annos circiter 1651. & 1652. per Johannem Pequetum, & van Horne receptaculum chyli atque ductus thoracicus fuit revelatus. Illud quod van Horne sacculum lacteum, Bartholinus glandulam lacteam lumbarem, Charleton conceptaculum Pequetianum

num nominat, membrana tenui ac valde dilatabili, similiter ac vasa lactea, constans, rotundum atque compressum mediâ fere inter renes & capsulas atrabiliaris regione, primis lumborum vertebrae incumbit. In brutis unicum plerumque interdum duo aut tria reperta fuere. In homine tria, duo nempe majora invicem superposita, sed mutuis ramulis lacteis conjuncta, inter cavam ascendentem & aortam descendentem in angulo, quem emulgentes cum cava faciunt, tertium vero superius diaphragmati vicinius, ejusque principio nerveo sub appendice immersum, notavit Bartholinus. Exonerant se in hanc cystemam non solum venarum lactearum omnes, sed & vasa lymphatica plurima humorem suum in illam deponunt. Unde Diemerbrock non tam chyli, quam lymphæ receptaculum appellari posse statuit, quod lympham non minus ac chylum recipiat, idque eo magis, quod chylus tantum per intervalla in illud delabatur, cum è contra lymphæ influxus sit continuus. Hos acceptos humores ductui thoracico tradit receptaculum. Hic ductus, qui à situ thoracicus, à contentis chyliferus audit, ex receptaculi superiora thoracem respiciente parte exoritur, tenui pellucidâque membranâ constans, aortam inter & venam azygos spinæ circiter mediæ incumbens per thoracem ascendit, in venam subclaviam ad venæ jugularis internæ ortum, non amplo hiatu, sed sex septemve exiguis foraminulis, quibus valvula ab humero cavam spectante præjacet, inseritur. Valvulas interius habet frequentes ascendentes chyli atque lymphæ impediens relapsum. Inventionis hujus ductus gloriam, reportent licet Pequetus atque van Horne, jam diu tamen ante ipsos observatum fuisse, ex Bartholomæi Eustachii, de vena sine pari tractatu, ubi ipsum accurate describit, manifesto patet. Quot præcise sint in homine tales ductus nobis nondum liquet. Plurimi unicum asserunt, Muralto vero in exerc. Med. 1. §. 4. duplex ordinariò receptaculum, duplicemque ductum in homine reperiri statuit. Nobis illa felicitas tum ductum hunc, tum etiam vasa lactea in homine videndi, nondum contigit; unde in aliorum observationibus acquiescimus.

T A N T V M.